

verb. in adulterio cum uxore aut filiâ, p. 149. & c. 121. p. 159. & c. 139. verb. occidit, p. 145. Iust. Gobl. ibid. art. 120. in aucta. Matth. Steph. hic, art. 150. in init. Cunrad. Rittersh. in jure Iust. par. 12. c. 5. n. 2. cum seqq. Christ. Besold. 1. polit. c. 10. concl. 43. Val. Forst. de jurisd. Rom. fol. 148. Ioh. Ceph. lib. 3. conf. 305. per tot. Sic fur nocturnus impunè potest occidi. Eleganter Bern. Zier. hic, verb. aliòve gravi delicto, Ioh. Borch. de pact. c. 2. n. 11. 12. Dn. Henr. Bessel. vol. 1. diff. decis. 13. th. 2. Quod attinet excessus illicitos contra factas aggressiones, contra Magistratum, aut ejus ministrum exequentem resistendo se defendere non licet. Latè Prosp. Farin. de carceribus, lib. 1. tit. 4. q. 32. Unde officialis se defendentem occidens immunis à pœna, Zieritz. verb. ex officio necessitas, qui plura huc spectantia tractat, ut & Remus & Steph. hic. Vide verba hujus articuli teutonica, considera ea, & lege quoq; Goblerum, qui ea Latinè reddidit. Denique notorium, moderationem inculpatæ tutelæ certa regula comprehendi non posse, Confer Herm. Lasher. de censu lib. 2. c. 4. nu. 44. ubi se remittit ad alios de moderaminis inculpatæ tutelæ tribus requisitis, & defensor non habet stateram in manu, ut ad æquilibrium se tueri possit, ut trado Acad. disc. 1. concl. 16. Hinc rectissimè Franc. Patr. lib. 5. de instit. Reipubl. lib. 5. p. 188. ait: Multa nonnunquam fiunt per iram, quæ deinde sedato animo eos, qui egerunt, in cœrore afficiunt.

ARTICULUS CXLIII.

Homicidium sine testibus.

In hoc articulo Imperator noster arduam illam quæstionem Cæsareâ decisione indigentem proponit, sed non decidit. Quomodo nimirum puniatur ille, qui defensionem præensam probare nequit? Is non torquendus, sed à pœna ordinaria simpliciter absque tortura absolvendus, & extra ordinem puniendus videtur; ut est communis opinio, Thom. Ferret. in 5. cautel. Iul. Clar. lib. 5. sentent. §. ult. q. 55. Panormit. in c. auditis, num. 23. ext. de præscript. Matth. Coler. part. 1. decis. 156. num. 1. cum seqq. Hart. Pist. obs. sing. 125. num. 3. Hinc in terminis elegantissimè scribit Iodoc. Damhoud. in prax. rer. criminal. c. 77. num. 29. Quoties duo inter se pugna conflictantur seorsim, ac semoti ab omnibus testibus, nempe nemine vidente, quorum alter incontaminatæ est famæ, alter verò minimè, benefamatus autem dicat, quicquid actum est, id à se factum esse ob necessariam defensionem sui, quod aliter docere nequit, nisi suo juramento, quod pro veritatis certitudine præstare offert, profectò juramentum hoc ipsius benefamati acceptabile est Judici, cujus gratia & illibati nominis causâ à Judice absolvetur indemnis. Æquum enim est, ut boni nominis sinceritas bono sit patrociniò, & ut nigri nominis macula famoso sit detrimento, num. 30. & seqq. tradit memorabilia. Semper enim in mitiorem partem recedendum est in dubio. Imò monentur Judices in criminali Constitutione Carolina, art. 13. ut in puncto casualis homicidii, vel inculpatæ tutelæ à quæstionibus abstineant, & reo defensionem prius concedant, etiamsi appareat, non justam esse defensionem, Bernh. Zieritz. d. art. 13.